

1503.

1306 d. 1 Maj.

Köpenhamn.

Bemålde Biskops vidimation af Påfven Bonifacius VIII:s bulla.

A. 1. d. \*).

Omnibus presentes litteras inspecturis. OLAWUS miseracione diuina episcopus Roskildensis, Salutem in domino sempiternam Noueritis nos quasdam litteras apostolicas vera bulla et filo serico bullatas vidisse et perlegisse non viciatas, non cancellatas sed omnj vicio et suspicione carentes tenorem qui sequitur continentes. BONIFACIUS &c. *Se föregående N:o 1376.* Nos igitur ja huius rei testimonium sigillum nostrum presentibus . . . . apponendum. Datum Hamnis Anno domini M° CCC° sexto die beatorum philippi et jacobj apostolorum.

1504.

1306 d. 16 Maj.

Stockholm.

FOLKE JONSSONS Gåfvobref på fisket Ykowerka till Bo Niclisson och dess arfvingar, om han några med sin dåvarande fästemo Cecilia Knutsdotter erhåller.

A. 6. a

Omnibus presentes litteras uisuris uel audituris. FOLCO JONSSON. Salutem in domino sempiternam. Notum facio per presentes, quod piscaturam meam, dictam ykowærka, boecio nielæsson dedi et assignaui, sibi, et heredibus suis, si quos ex cecilia knutsdottor, que nunc est sponsa sua, dante domino generabit. perpetuo possidendam. adempta michi et heredibus meis omni facultate dictam donacionem ullo umquam ingenio reuocandi. nisi quod absit, contingat dictum boecium sine liberis ex ipsa cecilia procreandis, tolli de medio. quia tunc uolo quod dicta piscatura ad me uel heredes meos, sine contradiccione qualibet reuertatur. In cuius rei testimonium sigillum meum presentibus est appensum. ad maiorem igitur firmitatem ne possit super ista donacione dubietas aliqua suboriri, petiui et optinui sigilla uenerabilium uirorum, dominorum, swantapolc, kanuti jons son, birgeri pætars son. Magni gregoris son. et philippi ingiwalsson, presentibus apponenda. Datum stucholmis anno domini .M°. CCC° sexto, die lune infra octauam ascensionis domini nostri.

Sigillen alla i behåll, men något skadade.

\*) Ur en afskrift af år 1350, vidimerad af Abboten Ragnwald och Konventet i Alvastra. I midten af brefvet äro tvenne större hål frätta.